quaquam par eſt, ſi cum eâdem conferatur: ſed tamen cum ſexta propterea inter diſſonantias non referatur: διὰ τεσσάρων etiam pro diſſonantia propter hunc defectum haberi non debet. 4. Idem probat experientia & uſus. Conſtat enim, quod διὰ τεσσάρων in inſtrumentis Muſicis, ſi chordæ ſecundum veras proportiones exactè intendantur, non modò non diſſonet: ſed etiam ejuſmodi ſonum procreet, qui dux & fundamentum reliquarum chordarum intendendarum eſſe poſſit: ut videre eſt in teſtudine uſitato inſtrumento muſico, quæ chordas in diverſis ſonis ad διὰ τεσσάρων diſtantes, & non ad alias quaſdam conſonantias temperatas, & intenſas exhibet, & tamen quaſvis conſonantias, ſi à perito artifice tractetur ſuaviſſimè exprimit, id quod diſſonans intervallum minimè præſtare poteſt, cujus menſura ad auditum planè incerta eſt. Solæ enim conſonantiæ perfectionem ſuam auditui exhibent, & determinatum finem, quando ad perfectionem pervenerunt, habent, unde reliquæ chordæ dirigi poſſint. Diſſonantiæ ubiq; quidem audiuntur, quam primum à